



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Andreas Apostol. 30. Novemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

supra Dominum; nec decet te conqueri, tacente Christo, qui in crucem actus est ab iis, quos ad sanitatem reducere conabatur.

3. Inspice demum, & fac secudum exemplar, quod in Calvariae monte tibi monstratum est. Ibi Christus ultimum quidem, sed utilissimum patientiae dedit documentum. Ibi amor tuus crucifixus est. Ah Jesu! reliquum vitae meae tempus meditabor passionem tuam: quid doloris, quid dedecoris detrectabo, cum te videam doloribus & opprobriis saturatum? Si flagellari detrectas cur recipi desideras, flagellat Deus omnem filium, quem recipit qui unico non pepercit, Aug.

S. ANDREAS Apostol.

30. Novemb.

*Mihi autem absit gloriari, nisi in
Cruce Domini nostri Jesu Christi.*

Paul. ad Gal. c. 6.

Andream, quo D. Petrus Germano gaudebat, tradunt omnium primum Christi scholae nomen dedisse; arcanorum Magistri inter paucos omnium conscium, quam hauserat doctrinam, ab eius morte Scythiae primo; mox Epiro & Thraciae, tum Achajae etiam intulisse; hic contra Procos: Aegaeam Crucis acerrimum inimicum fortiter rem gessisse; ab

Z

hoc

hoc ad impia sacrificia invitatum id respon-
disse: nobilius sibi sacrificium, idque quoti-
dianum esse & Incruentum; Agnum illum om-
nis maculæ expertem, & qui, postquam e-
jus carne sanguineque omnes Christiani vixis-
sent, non minùs tamen etiam ipse integer vi-
veret: Sub hæc in vincula coniectum esse,
eximendum facilè, nisi manus ipse Christianis,
precibus suis, vinxisset; Protractum inde, ne
supra Magistrum primus etiam discipulus es-
set, virgis cælum, ad crucem raptatum esse;
hanc procul conspectam amicissimè salutasse,
ad hanc velut ad exoptatam vitæ metā prope-
rassè, hanc velut expetitū senio suo scipionem
amplexum esse, velut nobilissimum sugge-
stum cupidissime conscendisse, ab ea duos
dies totidemque noctes, ab ejus ore hominū
millia XX. pependisse; quorum accursu cū
territus Procos: detrahere eum de cruce co-
gitaret, Andream id, ne fieret, magnopere
Deum esse precatum, ac proinde inter mul-
tum, qui precantem cinxerat, splendorem, è
cruce ad cælum, Ægeam verò à malo dæmo-
ne, obtorto collo, ad pessimam crucem in
Orcum abiisse: extumulo denique ejus o-
leum stillasse, & hoc uno dolorem tuum Chri-
stianos leniisse. *Ex Bar.*

MEDI-

MEDITATIO.

In Crucem S. Andrea.

S Andreas diu desiderârat Crucem, & ad eam jam dudum suum animum præpararat. Ejus Exemplo para animum ad graviora quæque perferenda, tum roga Deum, ut infligat aut permittat, quidquid ipsi libuerit; si votis annuerit, crux erit suavior; sin minùs, generosa voluntas mercede non frustrabitur. In dolore, in afflictione, dic cum S. Andrea: *O bona crux? diu desiderata! accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me accipiat, qui per te me redemit.*

2. Hic sanctus ad aspectum Crucis lætatur, gaudet, exultat, quod eadem morte moriturus sit, quâ mortuus est Dominus Jesus. Cùm vides imminentem Crucem, cum adsunt afflictiones, hæc cogitatio recreet animum tuum: hæc omnia, imò longè duriora passus est Christus, ut meo dolori aspergeret suavitatem. Nunquid parùm imitaris hunc sanctum Apostolum, cùm vel ad solam crucis & doloris cogitationem perhorrescas.

3. Considera, quòd Crux Andream, non Andreas Crucem portet. Si libenter portaveris Crucem, crux portabit te, & ejus beneficio mundi pericula vitabis: quòd si gestare nolueris: eam laboriosius trahes. Suam quisque crucem habet: sed eum non gravat, qui hilariac lubenti animo eam portat Dei causâ. *Navis est Crux.* August.

Z

DE